DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ANGINA PECTORIS.

3

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ANGINA PECTORIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS HAINES BANNING,

Anglus,

COL. REG. CHIR. LOND. SOC.

NECNON

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.

CICERO de Nat. Deor. lib. ii.

VIII. Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1809.

PATRI

CARISSIMO,

AMICOQUE OPTIMO,

THOMÆ BANNING,

ARMIGERO;

HOC OPUSCULUM,

PIETATIS, ANIMIQUE GRATI,

PARVUM TESTIMONIUM

CONSECRAT

FILIUS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ANGINA PECTORIS.

PROŒMIUM.

Quum hodierni medici fructum e cadaveribus morbidis incidendis percipiendum jam satis intelligant, et quanta auxilia inde præbeantur, cum ad sedes et naturam morborum ediscendas, tum ad illustrandam medendi rationem probe perspiciant; eo factum est, ut plurima mala nuper in lucem prodierint, quæ veteres penitus ignorabant, aut certe inscii

tractârunt; ex quibus utique, vel præ accessionibus repentinis, vel notis gravissimis, quibus hominem torquet, vel tenebris, quibus adhuc causæ versantur, nullum fere tanti medicorum scrutari interest, quanti illud dirissimum, cui nomen Angina Pectoris.

Hæcce et studium morbi indagandi tantos cruciatus, et tam grave discrimen vitæ excitantis, et tantilla spe miseros mulcentis, ad eundem seligendum hujus disputationis argumentum me impulerunt; eoque lector benevolus, amice spero, maculis ignosceret, præ mali indole obscura, paucisque occasionibus ejus testandi mihimet oblatis, vix profecto evitandis.

HISTORIA MALI.

Etiamsi natura et noxæ excitantes Anginæ Pectoris suadere videantur, eandem genus humanum olim tentavisse, aut certe ut primum luxus et otium vitæ invaluerunt; nulla tamen fere ejus vestigia in veterum aut recentiorum medicorum scriptis inveniuntur; neque omnino ea proprie exculta esse videtur, donec Heberdenus eximius, anno mdcclxxii, luculentam ejus rationem habuit *. Morgagnius quidem, apud ejus thoracis viscerum sectiones morbidorum, complura exempla atriorum cordis, vel vasorum majorum variis vitiis

---

* Vide London Medical Transactions, tom. ii.

laborantium edidit*; quorum nonnulla Anginæ Pectoris propria referunt: at lugendum est eum nequaquam plenius de morbis antecedentibus disseruisse; eoque quisnam affectus eos occiderint, quorum viscera secuerat, vix aut ne vix statuendum sit. Unicum profecto exemplum meminit, sine dubio ad propositum morbum referendum, quippe cujus propriæ notæ in illo prodiere; neque ullus dubito quin huc pertineret; hancce orationem habet:

"Materfamilias duos et quadraginta annos nata, diu valetudinaria, diuque obnoxia vixerat paroxysmo cuidam ad hunc modum se habenti: A concitatis corporis motibus ingruebat molestus quidam angor intra superiorem thoracis sinistram partem, cum spirandi difficultate, et sinistri brachii stupore: quæ om-

* Vide Morgagnii, de Sed. et Caus. Morb. epist. xvi. art. xliii.; epist. xvii. art. xvii.; epist. xxvi. art. xxxi.; et alias.

nia, ubi motus illi cessarent, facile remittebant. Ea igitur mulier, cum circa medium Octobrem anno MDCCVII Venetiis in continentem trajecta, rheda veheretur, lætoque esset animo, ecce tibi ille idem paroxysmus; quo correpta, et mori se aiens, ibi repente mortua est. Cadaver in urbem vectum, cum postridie a nobis inspiceretur, sublivida facie, cætera colore, et habitu omnino bono, superioribus tamen partibus nonnihil strigosum visum est. Cum autem, ob ea quæ paulo ante narrata sunt, mihi aneurysmatis suspicio esset ad arcum magnæ arteriæ, a thorace incepta dissectio est. In hoc, pari utrinque copia, nec illa exigua, effusum erat serum per se cruentum; animadversum enim fuerat nihil sanguinis in pectoris incisione illuc excidisse. Sani pulmones; nisi quod dissecti, ut postea vidimus, nimio redundabant spumoso sero. Cor potius magnum et durum valde ac robustum. Aörta ad curvaturam non parum dilata, justa alibi in trunco ramisque majoribus latitudine.

Sed intus, ubicunque incideres, hic illic inæqualis, nec sine osseis perfectis squamulis, nedum crebris inchoaturum indiciis. Quæ cum videremus, universum truncum, majoresque ramos aperuimus: in illoque ab ipsa origine pone semilunares valvulas, quæ duræ hic illic erant, et cum futuri ossis initiis ad iliacas usque arterias descripta vitia animadvertimus. Per has tamen, perque alias etiam superiores, ac nominatim subclaviam sinistram, minime propagabantur, si primam excipias alterius illius arteriæ partem, quæ carotidi, et subclaviæ dextræ originem præbet. Hinc oculos ad cor referentes, et ad cætera quæ ipsi annexa sunt, vasa, nihil usquam conspeximus vitii, nisi quod pulmonaris venæ caudex paulo visus est æquo major. In hoc, et in abjecto ventriculo sanguis erat paucus, isque, ut aliis omnibus in locis, niger et omnino fluidus. Sed in pulmonaris arteriæ trunco non paucus; quanquam in ventriculo dextro, ejusque auricula nullus, facile quia per venam ca-

vam, paulo ante infra jecur incisam, defluxerant *."

At vero inscius MORGAGNIUS adeo lucide hunc affectum depinxit, ejusque propriam naturam ignorâsse videtur; neque profecto nomine designavit: proinde jure denegamus ei laudem inveniendi et cognoscendi naturam et sedem hujus gravissimi vitæ flammæ morbi, quam optime palmam præripit HEBERDENUS†; qui, præ strangulatione fatum misero instans minitante, et pectoris impatibili angore, eum, nec injuria, *Angina Pectoris* appellavit; quæ vox notas mali pessimas insignit, neque aliquid incerti aut male perspecti amplectitur; eoque, nostro judicio, Parreianæ ‡ præstat. HEBERDENUS, apud jam memoratam disserta-

---

* Vide Morgagnii de Sed. et Caus. Morb. Epist. xxvi. art. xxxi.

† Vide London Medical Transactions, tom. ii.

‡ Vide Parreium de Syncope Anginosa.

tionem, quæ sedes, quæ causa continens sit mali, non pro certo statuit; nimirum, nondum ei contigerat mortuorum corpora secare; at conjicit id fortasse spasmo alicujus pectoris visceris inniti. Alterum * deinde exemplum, summique momenti prodidit, cujus ipse ægrotans historiam conscripserat, cadavere ab eximio JOHANNE HUNTERO inciso: hæcce tantum ad malum spectantia oculis obvenerunt: Magna arteria, ubi se arcuat, hic illic passim in os conversa, pleura et pulmones cohærentes, et sanguis, solutiori compage, non coïens; id quod ipsi MORGAGNIO conspicere contigerat.

Eodem fere tempore, HEBERDENUS, coram Collegio Regio Medicorum Londinensi, alterum dignissimum memoratu protulit exemplum, quod WALLIUS ad eum miserat; hic inspecto cadavere, patuerunt amplificatio cor-

* Vide London Medical Transactions, tom. iii.

dis et curvaturæ arteriæ magnæ, et hujus valvulæ semilunares, in os induratæ; porro reddere rationem malorum conatus est, perhibuitque ea vitio jam dicto valvularum innixa esse; nimirum sic factum esse, ut valvulis officio imparibus, pars sanguinis in ventriculum refluеret.

Fothergillius insuper tria edidit exempla *, ex quibus unum præpollet, summi momenti; mortui enim corpus summa peritia scrutatus est Johannes Hunterus; unde plurimum lucis huic morbo illuxit.

Anno mdccxcv, Blackius de *Newry* lucide anginam pectoris depinxit †; quem Parreius testatur fere primum publice meminisse arterias, quæ cor nutriunt, hic in os indurescere: hanc tamen laudem, optimo jure,

* Vide London Med. Observ. et Inq. tom. v.

† Vide London Medical Memoirs, tom. iv.

præripit FOTHERGILLIUS, qui illud anno MDCCLXXV notavit; quod mirandum oblitum esse PARREIUM; eo magis cum huic potissimum noxæ excitanti anginam pectoris tribuit; et proprie meminit exempla, quæ edidit FOTHERGILLIUS.

EVERARDUS HOMIUS fuse disseruit de cognati ejus JOHANNIS HUNTERI gravi isto et abnormi affectu, qui eum complures annos torsit, denuoque subito occidit *; hic profecto implicitus erat, et nequaquam facile discernendus; magnopere tamen anginam pectoris retulit, imo forsan ipsa gravissima extitit.

Plurimi alii historias morborum conscripserunt, quos ipsi ad propositum retulerunt; harum revera huc spectare videtur a PERCIVALLIO † et JOHNSTONIO ‡; aliorsum relegan-

* Vide Home's Life of Hunter.

† Vide London Medical Memoirs, tom. i.

‡ Vide London Medical Transactions, tom. iii.

dæ ab HAYGARTHIO *, SMITHIO † et HAMILTONIO ‡ editæ.

BUTTERUS de angina pectoris agens, affectum describit, cui nomen imposuit, " *Diaphragmatic Gout;*" sed malum, de quo disputat, adeo alienum est ab angina, ut nullus hæream quin eum penitus fefellerint, et latuerint causæ et natura mali de quo agebat.

Primus omnium PARREIUS, Bathoniæ medicinam faciens, plenam et bene ordinatam morbi rationem scriptis mandavit. Diuturno usu et indagatione acerrima doctus statuit ærumnas, quibus miseros torquet, arteriis coronariis in os conversis prorsus deberi; quam conversionem binis exemplis ostendit memoratis; alteri, quod edidit, eædem arteriæ cartilagineæ factæ sunt, intus quadam membra-

* Vide Edin. Med. Comment. tom. v.

† Ibid. tom. ix. ‡ Ibid. tom. iii.

na obturatæ, isti consimili, quæ asperam arteriam in cynanche tracheali male habet. Sub genere *Syncope* collocato morbo, *Syncope Anginosa* vel *Angens* nominavit : at plurimum inter eam et syncopen interest, nimirum sensus et motus huic quiescentes, illi tantum hebescunt et imminuuntur : cum verò ejus definitio, me judice, cæteris præstat, ea uti aliquantum mutata haud dubitabo.

DEFINITIO.

Motus cordis plus minusve imminutus inter ambulandum, vel ex aliquo nisu abnormi; angor et dolor impatibiles pectoris, vitæ flammæ extinctionem intentantes; dolor a corde ad sinistram mammam, imo sæpe ad brachium pertinens.

INDICIA MORBI.

Angina Pectoris quinquagenarios potissimum adoriri consuevit, juniores rarius; non tamen desunt historiæ, unde veri sit simile, hos etiam fuisse correptos; quas valde suspicor ab ea esse alienas; eodemque releganda conjicio exempla, quorum meminit Heberdenus, viginti annos natorum angina pectoris ægrotantium.

Uterque sexus ei est opportunus; procliviores autem mares, præsertim vegeti, pleniores et pinguedine graves: subinde paulo ante gravem accessionem, homo vagos pectoris dolores fuit expertus, at leviores quam qui metum incutere possent; sæpius malum derepente invadit, nullis prænunciis.

Hic morbus miseros non continenter urget, sed intermissis temporibus certa lege carentibus, accedit et decedit. Vehementiore nisu, ambulatione, præsertim vento adverso, in locis acclivibus, et post cibum excitatur: rarius sed aliquando jejunum invadit; primo molestia et gravitas ad præcordia urgent; dein illico dolores et angores impatibiles pectoris, ad lævum paulo inclinatiores: hi via mediastini retrorsum tendunt; at æger quasi os pectoris versus spinam retrahi sentit: modo dolores fixi sunt, alias fere totum pectus permeant; sæpe sinistrum, nunc alterutrum, subinde utrumque brachium cruciantes; fere tantum dolet ea pars humeri, quæ tendinem musculi pectoralis majoris amplectitur: cuidam dolor totum brachium ad summos digitos permeavit, qui porro torpebant. Parreio neganti brachii affectum proprie ad hunc morbum attinere, dissentio; quod non doluisse in exemplo ab eo edito, alicui rei fortuitæ parum adhuc intellectæ, attribuo.

Instante accessione miserrime torquetur homo, assidueque necem præsentem timet, ni statim conquiescat vel moveri desinat; quod ut primum fecerit, extemplo fere evanescunt mala, et puncto temporis ad officia solita valet, non tamen sine gravi motu recidivi morbi: antea memoratum, qui ipse sui mali historiam conscripsit, accessio, quo minus ambulare persisteret, non impedivit; sed inter ambulandum, sexta quartave horæ parte elapsa, sponte decessit *.

Aliquando plures annos post impetum primum morbus conquiescit, nisi inter aliquem nisum aut motum intentiorem; at longe sæpius, jam inveterascente morbo, crebrius et gravius accessiones incidunt; et non modo non sponte quiescunt, verum etiam plures horas, imo, ut nonnulli aiunt, biduum, triduum ampliusve nullo levamine perstiterint. Præ-

---

* Vide London Medical Transactions, tom. iii.

terea, levissimis cientur noxis, sæpe decumbentem vexantes, eo ut fere singulis noctibus sit surgendum e lecto. Nunc porro equitando, tussiendo, sternuendo, desidendo vel turbis animi excitantur: plerumque tamen, nec ullum gestationis genus, neque peractæ actiones naturales eas induxerunt: unicum * novit HEBERDENUS, cui stanti aut sedenti supervenerunt. Alii alias intolerabilem cruciatum impetus ægri depinxerunt: quibusdam sensus est quasi stricti pectoris, perinde atque arcte ligamento constringerentur; aliis sensus doloris pulsatilis obtusi infra os pectoris; nonnullis, quasi molis e trunco tantum non humum decidentis, aut omnium motuum, quos voluntas non regit, quiscentium. Accessiones comitari solent sensus strangulationis, modo vasorum capitis congestio, et vultus turgens atque rubens aut livens, etiam halitus cutis, paulo uberior et aliquantum tenax: subinde

* Vide London Medical Transactions, tom. ii.

homo tussit, at raro difficulter spirat; nimirum inspiratio plenior sæpenumero dat levamen. Inveterascente morbo, si accessio stantem corripiat, sedenti solvitur; si sedentem, stanti. Ructus, et humeri spinaque retracta, aut pectus antrorsum fulcro innitens, quietem, aut certe levamen signorum aliquando moliuntur.

In intermissionibus quæ principio plures hebdomadas mensesve perstant, æger bene valet; at postea vires animi et corporis resolvuntur, forsan præ vita otiosa et quieta quam habere cogitur ad reditus præcavendos.

Cætera mala sæpe comitatur palpitatio cordis, me tamen judice, non hujus morbi propria, sed ad vitium alienum referenda, nempe ad hydropem capsulæ cordis vel cavi pleuræ, aut aörtam ampliatam; quæ ni adsint, abesse videtur.

Inter decessiones, saltem initio, arteriæ naturaliter micare solent; at in impetu, celerius, exilius, et haud sine intermissione moventur; aliquando momentum horæ diutiusve non saliunt omnino. Desiderium et concoctio ciborum, et cæteræ functiones naturales, ineunte morbo, parum turbantur; satis bona valetudineque fruitur homo in intervallis, nisi quod paulo strictior est alvus, id quod malum intendere consuevit.

Ratio cæli et tempestatum aut ad acuendum aut sedandum morbum parum valet; alii hyeme, alii æstate magis conqueruntur. Quod ad diuturnitatem affectus, certa lege caret: nunc complures annos perseverat, tandem occisuro alieno malo; nunc ocius, intra paucos menses conficit, citiusve; eo, ut Parreius meminerit quendam obiise, vix amplius unicam accessionem expertum.

QUÆ INCISIS CADAVERIBUS PATEFIUNT.

Maculæ cæruleæ vel subnigræ aliquando defuncti cutem male habent; nonnullæ satis amplæ, fortasse sanguinis solutæ compagi, et arteriolarum imbecillitati tribuendæ; modo tumet, sed non semper mortui vultus. Incisis integumentis, multo plus opinione conspicitur adipis; eo magis in animo habita specie spirantis, sæpe tenuioris. Cartilagines costarum et sterni sæpe in os induruisse videntur; humor plerumque sanguineus et uberior sæpe in capsula cordis et cavo pleuræ vel alterutra introspicitur: præter consuetudinem, haud raro adipe obvoluta basis cordis et mediastinum observantur; cor fere semper ampliatur, bis terve tantum coarctatum;

præter solitum pallent ejus fibræ motrices, teneriores, flaccidæ, laceratu facillimæ ; intus cor vel in os converti, certeve eo spectâsse conspicitur ; depleta inveniuntur ejus cava, præsertim læva, perinde quasi sæpius essent eluta : plus minusve indurantur valvula mitralis et semilunares aörtæ ; hæc præsertim ubi se arcuat, amplificatur, hic illic ossea facta ; id quod aliquando ulterius se ostendit.

Arteriæ quæ cor nutriunt, ut complures cadavera introspicientes notârunt, semper ubi eas scrutati sunt medici, corrumpuntur : nunc tunicæ iis crassiores sunt, cartilaginem referentes ; modo sparsim vel ex toto osseæ ; utrique vitio semper accedit natura fibrinæ vel ossi consimilis earum canalem impediens, eo ut sanguini sint fere imperviæ ; hæc, instar arboris, ipsarum sequitur figuram. Cuidam, quem Fothergillius curavit, nil mortuo præter naturam contigit, nisi macula exigua juxta cordis apicem ; arteriæ coronariæ, haud memoratæ, fortasse non inspectæ fuerant.

Pulmones plerumque sani sunt; nisi quod sæpe sanguine referciri conspiciuntur eorum vasa, et modo muco spumante obturari spiramenta; necne unquam induruerint vasa, haud habeo compertum.

Viscera abdominis integra esse solent; pallere et contrahi modo jecur observatur; et aörta in abdomine ossea esse facta; atque omentum plus solito pinguescere.

Nonnunquam turgescunt vasa cerebri; et in os induruerunt arteria carotica interna utraque vel alterutra, etiam dura mater ad sinum longitudinalem superiorem: nunc cava cerebri insolita humoris copia, nunc plexus choroideus hydatidibus scatuêre.

Dignum est notatu, sanguinem defuncti vix aut ne vix coïre, resoluta ejus fabrica. Ex quo MORGAGNIUS floruit usque ad hodierna tempora, hoc fuit conspectum; at nullus,

quantum scio, inde aliquid expromsit lucis ad morbi rationem aut curationem illustrandam; semel * sanguis inter gravem accessionem detractus, sponte coïit; at ipsissimo mortuo resolutus apparuit.

Hæc vitia sunt quæ in cadaveribus hoc morbo ablatorum reperta sunt; ut rarissime omnia in eodem, sic sæpissime plura paucio-rave.

QUÆ NOXÆ PROCLIVITATEM DANT.

Noxæ opportunitatem facientes, summa hucusque versantur caligine; id quod scire

---

* Vide apud Parreium, exemplum memorabile mali afficientis Reverendum W. S———.

licet in cunctis malis pravitatibus cordis nitentibus: illud tamen nôsse oportet, corpus pinguius, brevius, quadratum, plenum et vegetum opportunius esse, quod angina pectoris corripiat; quod tamen aliquando contra fit. Otio, cultui, luxuique dediti vitæ, eo magis si antea contrarium vivendi genus habuissent, potissimum ei subjiciuntur; et qui multum edunt et potant. Quibusdam placuit hunc morbum proprio quodam nexu arthritidi esse cognatum; recte an secus nescio; sæpe arthriticos adoriens, sæpe tamen hujus expertes tentat.

QUÆ NOXÆ MORBUM EXCITANT.

Ex mali notis et iis quæ, secto corpore, prodeunt, patet vitia cordis omnium malo-

rum esse fontem. Diu in dubio fuit, ipsius cordis an capsulæ ejus pravitates pepererint signa morbi: hodierni, ex causis supra comprehensis, sentiunt vitium arteriæ coronariæ unice hoc facere. PARREIO placet hancce pravitatem arteriarum, quæ nutriunt cor, earundem inflammationi antecedenti deberi; quam sequitur ut osseam naturam intus secernant vasa vasorum: neque celandum membranam earum internam faciem cingentem, quam, inspecto cadavere, reperit PAYTHERUS*, huic sententiæ convenire; nec absimile est veri, unicuique anginæ exemplo antea contigisse talem inflammationem, quanquam ipsa rei natura vetet quo minus hoc compertum habeamus: at vero ex qua corporis proprietate, hæcce pravitas enascatur, nondum probe intelligitur; neque celandum est rationem hujus rei haud fore reperiendam, dum solertia et ingenium multo amplius phy-

---

* Vide Parrei Introductionem ad Syncopen Anginosam.

siologiam corporis humani illustraverint. Hoc tamen scire juvat, rivos arteriæ coronariæ sic impeditos, minus valere ad sanguinem per fabricam cordis propellendum; quo fit ut hoc fonte alimenti obturato, imbecillius fieret, debilius saliret, palleret, facile laceratu, tandem ampliandum.

Patet igitur origo imbecillitatis cordis, et abnormis et inæqualis sanguinis circuitus; cor nimirum, pro arteriis et venis debilissimum est, non potens in eas urgendi sanguinem vi salutari, quæ, quantum novimus, sanissimæ sunt: ideoque si nixus intentior, ut ambulatio, cursus, hasce incitaverit, cor molem sanguinis insolitam accipiet; nempe præ resolutione ejus virium eidem propellendo impar factum: hinc sinister ventriculus sanguine refertus et incitatus, nixus vehementes ad se exinaniendum edit; at fere incassum.

Inter hoc molimen, ni fallor, motu spasmo-

dico aliquæ ejus fibrarum motricium stringuntur, quo forsan referendum est multum cruciatus: Neque vero inficiandum, spasmus necne sit, in dubio esse positum: adesse tamen cuidam cordis parti credere inducor, e colloquio habito cum amico summi ingenii, et in hoc morbo curando exercitatissimo, cujus opinioni me plurimum fateor confidere; recte an secus senserit, non certo statuo; at dolor et angor ex improviso instantes, et conquiescentes, pulsusque parum abnormis pro parte læsa, huic sententiæ favere videntur. Quod si esset totius cordis spasmus, ut plerique sentiunt, arteriæ moverentur omnino sine norma; et cum multis et diuturnis intermissionibus, gravisque cordis urgeret palpitatio. At fortasse aliquis objiceret, haud simile esse veri punctum quasi cordis solummodo spasmo laborare: quanticunque sit hoc argumentum, non ideo jam dictæ opinioni diffidere inducor; eo magis cum aliquid talis variis morbis spasmodicis contingit.

Quod ad alias pravationes, cor pinguius aörtam, et valvulas cordis induratas, et hydropem capsulæ cordis ; etiamsi eas pro noxis excitantibus non habeo, nullus tamen dubito, quin hæ vitium arteriarum, quæ nutriunt cor, comitantes, plurimum valeant ad accessiones facilius et sæpius accendendas ; imo fortasse in quibusdam exemplis, plusquam ipse morbus, ad ægri interitum contulerunt.

QUOMODO MALUM DIGNOSCATUR.

Hucusque absoluto proposito, videndum est quomodo hic a consimilibus morbus dignoscatur. Sincerus et aliis pectoris propriis haud implicitus, non ægre discernitur ; quæ autem natura, quid nomen, quæ sedes esset ejus alienis involuti, uti apprime medicorum

interest invenire, ita res est difficillima; hi autem sunt morbi anginam pectoris adeo simulantes, ut errandum sit.

Asthma.—Quidam apud terram Europæ continentem medicinam facientes, anginam pectoris esse proprium genus asthmatis spasmodici senserunt. Hæc opinio nihili esse videbitur utriusque indicia scrutanti: illa enim correptus rarissime, hoc semper, magna spirandi difficultate premitur: huic contingit inspiratio strepens cum sibilo, tussis propria convulsiva; illi nequaquam: hoc pro cœli ratione ingravescit et mitescit; illa vix inde mutatur: denique, hoc noctu inter decumbendum, illa interdiu et inter ambulandum invadit.

Hydrothorax.—Inter hunc et propositum morbum, ubi sincerus est, interest, quod in hydrope pectoris solum humor fluctuare, icto pectore, percipitur; quod eidem supinus situs

intendit, at anginæ pectoris levat indicia; quod huic spiritus multo minus laborat, et arteriarum pulsus minus et rarius intermittuntur quam illi; quod huic desunt somni perturbati, et palpitatio cordis fortuitum fere signum est habendum; illi tamen, utrumque perpetuum est indicium.

Aneurismus, vel *amplificatio arcus aörtæ.*—Angina pectoris ex hoc morbo discernitur, perpetua anxietate et summa præcordiorum gravitate, sæpe etiam cordis palpitatione illius aörtæ vitii propriis; signis porro in eodem continenter urgentibus; arteriis porro in aneurismo sine norma et oppressis micantibus, quasi magno impedimento reniterentur; et in angina imbecillius inter accessiones, per integritatem naturaliter.

Hydrops Pericardii.—Hic morbus contitenter, angina pectoris, interjectis temporibus urget; angina porro ita desinit, ut conse-

quatur integra, ut videtur, valetudo, et motus arteriarum naturalis; at hydrops pericardii, vix quicquam se remittens, assidue stipatur arteriæ ictu celeritatem et vim inæquali; eo continuo ingravescens, ut tandem strangulet.

Quod si anginæ accederet unum alterumve horum malorum, naturam morbi discernere res imprimis ardua fit; neque reperiuntur aliquæ satis certæ notæ: hic aliquantum afferunt lucis iste angor, misero instantem vitæ flammæ extinctionem minitans, et dolor ab osse pectoris spinam et sinistrum latus adiens, et eodem rediturus unde fuit profectus.

Anginam pectoris *Syncope* consimillimam esse voluit Parreius; sed inter eas interest, quod illi vix, nisi gravius instans occideret, sensus et motus penitus conquiescunt; quod huic deest angor illius proprius et inter decessiones, hæc, dummodo cordis vitiis nitatur, ægrum palpitationi torquendum dimittit; denique, quod non easdem causas agnoscunt.

QUIS EVENTUS ESSET MALI.

Quod ad futuri præsagium, ex prædictis facile constat malum exitum fere semper esse augurandum; auxilia, ut primum morbus incubuit, levamen moliri posse, et fatum differre, at vix sanitatem reducere.

In quibusdam scriptis de hoc affectu, hinc annis viginti aut triginta editis, in salutem inclinatus esse fertur; at vero haud asserere dubitabo mala hic memorata non ad anginam sed aliorsum esse releganda; eo magis quod ubicunque hujus indicia plane prodierint, serius ocius miserum abstulerunt. Si accessiones nondum sint diuturnæ, neque nisi intentioribus noxis incitentur, longa simul inte-

gritate interjecta, mors nequaquam erit in propinquo: sed impetus crebrius, diutius, gravius et facilius tentantes, decumbentem et quiescentem invadentes, pessimum præsagiunt exitum, cito occisuri.

QUÆ SIT CURATIO.

Noxæ hunc morbum cientes, et pravitates cordis repertæ, facile ostendunt, medicinam morbo esse longe imbecilliorem, non valere ad eum radicitus tollendum, neque profecturam, dum ignoramus istas primarias et vix percipiendas mutationes corporis, pravitatum de quibus diximus prænuncias; sine quarum notitia non erit locus maturo auxilio, quod medicina aut ratio victus polliceatur ad occurrendum antea morbo orituro. Cum igitur te-

nebræ obumbrantes hoc malum, vetant quo minus hoc exequamur, summa vi nitendum est ut ægro concilietur quam maximum solatii, et fatum quam longissime distaret. In hunc finem ars medici duplex amplectitur consilium. *Primum*, oportet sedare vim accessionis præsentis, eandemque cito et fauste solvere. *Secundum*, regressum ejusdem præcavere.

CONSILIUM PRIMUM.

QUUM, ineunte morbo, accessiones, causa sublata, nimirum nisu motuve, conquiescunt, neque nisi eo inveterascente, æger sibi metuit, medicina ad has leniendas et solvendas sæpe non desideratur, hæc autem remedia prodesse consueverunt ad hoc consilium.

Sanguinis Detractio.—Venam ferire auxilio est præsentaneo; quippe quia materia detracta impetum arteriarum sedat, eoque accessio-

nes levat: quanticunque tamen esset hoc remedium, non minus medico cavendum, ne ægro imbecillo et diuturnitate morbi confecto adhibeatur; nam tantum pleniori, et principio prodesse solet: ni ita se res habeat, morbum graviorem reddit. Si secare venam opus esset, imperat PARREIUS sanguinem ex incisura exigua et parce elicere, ægro supino; negat amplius tres quatuorve uncias una vice esse mittendas.

Quæ Spasmum solvunt.—Hæc juvare possunt, spasmum solvendo, quo cor torqueri videtur; et inter ea præpollet Opium; quod tamen, quia cor et arterias incitat, et alvum contrahit, prosit necne hæreo: at quia HEBERDENO et FOTHERGILLIO curantibus profecit, haud eo uti dubitarem, ni plenius corpus vetaret. Idem scire licet de cæteris in spasmum auxiliis; qualia sunt, Æther Sulphuricus, Moschus Moschiferus, Castor Fiber, Ammonia, Laurus Camphora, Oleum Succini,

&c. ; ipse medicamentum Ammoniam et Ætherem habens signa levâsse comperi.

Frictio, Vesicatoria, et quæ ruborem movent.—Hæcce porro in usu sunt, et fortasse aliquantum opis tulerunt; quomodo auxilientur, non statuo.

Alcohol, aliique liquores stillatitii intus assumpti, primum stimulando, postea exhauriendo, sunt nocentissimi.

Vomitus.—PERCIVALLIO placuit vomitum moliri; testatur angores inde fere statim leniri. HEBERDENUS vomitum inutilem statuit; quem quidem nocuisse judico, quod nullus fere hodiernus eo uti consuevit; et quia molimina ad vomendum, agitando corpus, et musculos spiritui dicatos movendo, præsertim septum transversum, perinde atque ambulatio, accessionem illatura aut intentura esse videntur.

Alvi Purgatio.—Purgare alvum est tutiori, sed paulo tardiori auxilio, et quod quamprimum efficere permagni refert curantis. Prodest, exinaniendo vasa sanguinea, eoque corpus extenuando: sed præstat infundere in alvum medicamenta in hoc consilium; quæ præcipit Parreius fieri ex muriate sodæ et aqua tepida. Sic ægro conciliantur dejectiones citius, et levioribus musculorum moliminibus, quam in ventriculum sumptis; quamobrem hæc non est prætermittendum.

CONSILIUM SECUNDUM.

Ad hoc consilium perficiendum maxime nitendum est victu et vitæ genere idoneis; et tali curatione utendum, qualis ad sanguinis abundantiam et corporis plenitudinem proclivitati occurreret.

Victus Ratio.—Juvant illi cibi qui concoctu sunt faciles, neque nimium nutrimenti præ-

bent. Quidam præcipiunt a carnibus ex toto esse abstinendum, id quod sæpe proderit: at quia ægro ingratum, neque, malo leviore et recentiore, necessarium est, paululum carnis concedere præstabit: at cavendum ne ægrotanti in hac re nimis indulgeatur. Quodcunque genus esset escæ, parcius et sæpius, quam largius et rarius, sumendum; quod neglectum præceptum, sæpe consequitur nova mali accessio.

Dilutæ et *modicæ potiones* juvant. Parca manu ingerenda sunt juscula omnigena, et infusum Theæ et Coffææ, quippe quæ nocent, flatum moliendo, ventriculum distendendo, eoque spiritum impediendo. Neque tamen defuerunt occasiones victu ab hoc alieno utendi; et interdum auxilio erit cibus lautior; quæ res lege certa carens, medici solertia et ipsius ægri experientia regitur, quæ sæpe quid prosit, quid noceat optime suggerit.

Liquores fermentatione facti, et qui inde distillantur, omnesque aëre isto *acido carbonico* scatentes, nocentissimi sunt; quales sunt Cerevisiæ, Vina e pyris et pomis confecta, etc. Commonet PARREIUS præ cæteris bibendam esse aquam meram, aut paululo vini vel cujusvis aromatis mistam.

Exercitatio.—Proxime victum, exercitatio valentissimo est præsidio: media præstabit, quæ excretiones eliciat, neque tamen nimium incitaret, et semper citra sudorem. Ambulatio citatior, præsertim in acclivibus locis, simul adverso vento, magis veneno vitanda, quippe quæ potentissimæ noxæ sit; ea facta exercitatione, quam usu æger compererit juvare, aut non esse impatibilem. Gestatio et equitatio anteponuntur, quia parum agitant, aut ad accessiones ciendas valent, prsæertim equitatio.

Sanguinis Detractio.—Hanc ad morbi impetus præcavendos utissilimam esse judicavit PARREIUS; et strenue illam sententiam refellere conatur, nimirum, venam sæpius incisam corpus implere, non extenuare: recte an secus senserit, non pro certo statuo; at valde suspicor eum erravisse, quia sanguis citissime alimenti concoctione renovatur, et quia ejus detractio, arteriis solito stimulo privatis, secretionem et excretionem cohibet; porro, HEBERDENI auctoritate nixus, hoc remedium saltem inutile existimo.

Alvi Purgatio.—Nullus medicus, quantum scio, hanc non strenue præcepit, neque dubium moveri potest, quin summi semper sit momenti alvum solutam servare, eoque corpus deplere; quem in finem optime dantur Sales Medii et Submurias Hydrargyri.

Fonticuli et *Setacea.*—Horum institutio, vel

apud cervices vel crura aut brachia, materiam detrahendo, prodesse consueverunt; et, ni in dubio esset, necne exempla a Macbridio memorata ad anginam pectoris pertinerent, illis remediis maxime confideremus, ob summas laudes quibus ea dignatus est hic medicus: certe nil unquam nocent, et non curanti prætermittenda sunt.

Vesicatoria.—Pari ratione præsidio sunt vesicatoria: fertur profuisse ossi pectoris, admota linteola hoc liquore madefacta *.

℞ Tartritis Antimon. et Potassæ, ʒi.
Tincturæ Camphoræ, ℥ß.
Aquæ Fontanæ, ℔j. Misce.

Hoc medicamentum inflammationem et efflorescentiam cutis movet, et fortasse haud alia ratione quam vesicatoria, proficit.

* Vide London Medical and Physical Journal, tom. vi.

Digitalis Purpurea.—Folia hujus plantæ usitatissima sunt in multis morbis, præ facultate qua pollent sedandi impetum cordis et arteriarum ; unde quibusdam placuit non inutilia esse ad accessiones prævertendas : at vero quanticunque sint, haud celandum vivendi apta ratione morbum esse vincendum, medicinam tantum esse minori auxilio et istis solum medicamentis fidendum, quæ corpus deplent, et manifeste afficiunt.

Denique, ut brevi loquar, animi et corporis quies summopere conciliari debent ; noxis excitantibus maxima cura evitatis : ægro nocentissima sunt loca hominum frequentia referta, eoque debet effugere spectacula, theatra et similia; aër enim, vaporibus impuris et calidis imbutus, spiritum turbat, et strepitus aliæque noxæ horum locorum animum excitant : æger non debet negotia persequi, quæ mentem contristant : hinc juvant varium vitæ genus, rus, jucunda ami-

corum sodalitas, istæque exercitationes quæ neque animi nec corporis vires nimium intendunt, tamen modice cient, et ob omni solicitudine abstrahunt.

FINIS.